qui ex industria & diffinite male agit. Existimasti inique quod ero tui similis
existimasti .i. putasti me tibi similem. Dum te peccantem paciencia sustinui
quia non statim puniui sed ad penitenciam te expectaui. Existimasti me si
milem tui peccata tua mihi placere putasti. Caueant enim ita qui rei sunt ut
putent deum aut sua ignorare peccata aut uisa statim indulgere. Intellegite
hec qui obliuiscimini dominum. Nequando rapiat .i. pertrahat si mors ad eternam
dampnacionem. & non sit qui eripiat .i. qui liberet de inferno. Sacri
ficium laudis honorificabit me. Sacrificium laudis est sinceritas diuine
confessionis & melodia spiritalis carminis. Ue laus tunc dominum honorificat
si corde credas & opere impleas quod ore cantas. Et illic iter est quo ostendam
illi salutare dei. Christus gratis redemit genus humanum. Neque enim ullum mun
dus habebat meritum quo saluari posset nisi solius christi gratia saluaretur.
Dum ergo hoc fidelis quisque mente pertractat. hinc meritum suum considerans
quo dampnari meretur. inde gratiam dei qua liberatur in eo est iter quo
illi salutare dei ostenditur quia per hoc saluatorem suum recognoscit eumque
laudat & confitetur. Psalmus dauid inquit quando uenit ad eum natan
propheta. Nota istoria libri regum in quo dauid rex & propheta. Narratur
misisse exercitum aduersum filios ammon. Ibi ergo omni populo bello accupato.
Cum ipse deambularet meridie in solario domus sue. Uidit mulierem se
se aduerso lauantem. quam statim instinctu diaboli adamauit. Dormiensque
cum ea filium genuit. Ideoque missus est ad eum natan propheta qui eum ob huius
modi factum uerbo increpans redarguit inquiens. Tu fecisti peccatum tuum occulte. Ego
autem faciam in conspectu solis huius. & in conspectu totius israhel. Tunc dauid uidens
publicatum delictum suum. confusus est uehementer. Et ueraciter in corde penituit.
dicens. Peccaui domino. ideoque ueniam meruit. Ad quam impetrandam hunc
psalmum cantauit. Sciendum autem quia hic natan. ipse est & ionatas fili
us amasse fratris dauid. Sed adoptiuus frater dicitur. Unde cum in libro regum filius sai